

CAPITULUM 9
DE DIFFERENTIA

§1

Differentia vero... 8,8-12 . Istud est tertium capitulum huius primi tractatus, in quo Porphyrius determinat de differentia quae est divisiva generis et constitutiva speciei, postquam determinavit de genere et specie. Dividitur autem istud capitulum in duas partes. In prima ponit aliquas differentiae distinctiones. In secunda parte accipit differentiam de qua intendit, et ipsam multipliciter definit, ibi:¹ quas etiam determinantes. Prima pars dividitur in quinque distinctiones, quarum secunda incipit ibi:² differentiarum vero; tertia ibi:³ a superioribus igitur; quarta ibi:⁴ inseparabilium autem; quinta ibi:⁵ cum igitur tres.

Prima distinctio est haec, quod differentia tripliciter sumitur, videlicet communiter, proprie et magis proprie. Differentia communiter dicta est illa qua alterum differt ab altero quadam alteritate accidentali, sive unum ab alio differat sive a se ipso, per accidens fixum vel transiens, sive per modum accidentis.

Verbi gratia, Sortes differt a Platone qualibet istarum alteritatum, aut quia Sortes est albus et Plato est niger, aut quia Sortes movetur et Plato quiescit, aut quia Sortes movetur velociter et Plato tarde. Albedo et nigredo sunt accidentia fixa, motus et quies sunt accidentia transeuntia, velocitas autem et tarditas accidentium fluxibilium modi sunt. Idem etiam differt a se ipso his alteritatibus: nam Sortes senex differt a se ipso puero, et faciens domum vel statuum aut aliquid aliud differt a se ipso quiescente a tali motu; ipse etiam Sortes velociter currens aut bene videns differt a se ipso tarde currente aut male vidente, et sic de aliis modis accidentium permanentium aut fluxibilium. Est autem haec differentia communiter dicta, quia talia accidentia et huiusmodi alteritates communiter accidunt, et homi-

nes, non cognoscentes differentiam essentialem, per talia accidentia communiter unam rem ab alia distinguunt.

Lege litteram: differentia vero communiter et proprie et magis proprie dicitur. Communiter quidem differre alterum ab altero dicitur, quod alteritate quadam accidentali differt, quocumque modo, vel a se ipso vel ab alio. Differt autem Socrates a Platone alteritate, et ipse a se ipso vel iam puer a se ipso vel iam viro, id est: sene, vel faciente aliquid vel quiescente, et semper in aliquo modo habendi alteritatibus.

§2

Proprie autem differre... 8,12-15 . Differentia proprie dicta est illa qua alterum differt ab altero inseparabili accidente. Isto modo dicimus quod oculus caecus differt ab oculo vidente, et nasus simus a naso non simo, et habens cicatricem a non habente cicatricem. Simitas enim nasi, et caecitas oculorum et cicatrix ex vulnere proveniens et indurata dicuntur accidentia inseparabilia, quia propter fortem causam in subiecto nunquam corrumpuntur remanente subiecto. Vocantur autem accidentia propria, quia appropriantur determinato subiecto: simitas enim non invenitur nisi in naso, et caecitas in oculo et cicatrix in carne.

Horum accidentium quaedam insunt ab intrinseco tantum, ut simitas et aquilinitas, quaedam ab extrinseco tantum, ut vulnus et cicatrix, quaedam vero aliquando ab intrinseco et quandoque ab extrinseco, ut caecitas, surditas et claudicatura. Haec quidem accidentia non fluunt a principiis speciei, quia non quilibet nasus est simus, neque omnis oculus est caecus, neque in qualibet carne est cicatrix; sed proveniunt ex principiis individui et aliqua particulari et determinata causa.

Lege litteram: proprie autem differre alterum ab altero dicitur quando inseparabili accidente ab altero differt. Inseparabile vero

accidens ut nasi curvitas, caecitas oculorum, cicatrix cum ex vulnere occalluerit, id est: indurata fuerit.

§3

Magis autem proprie... 8,15-18 . Differentia magis proprie dicta est illa qua alterum differt ab altero specifica differentia; quemadmodum homo differt ab equo non solum per albedinem vel nigredinem, quae est accidens separabile, neque solum per risibilitatem, quae est accidens inseparabile, sed propriissime et maxime differt per rationale, quod est qualitas essentialis. Sicut enim forma substantialis est qualitas essentialis materiae tollens indeterminationem eius et eam contrahens ad determinatum compositum, ita rationale et quaelibet specifica differentia est qualitas essentialis generis tollens confusionem et communitatem eius et ipsum contrahens ad determinatam speciem. Dicitur autem differentia communiter et proprie dicta qualitas accidentalis, quia adveniens subiecto non constituit compositum substantiale, sed solum accidentale; albedo enim adveniens homini non constituit hominem, neque simitas adveniens naso constituit nasum, sed constituit simum, sicut albedo constituit album. Rationale autem adveniens animali constituit hominem, sicut forma substantialis adveniens materiae constituit compositum naturale. Genus enim et differentia sunt partes essentialis speciei sicut materia et forma substantialis sunt partes essentialis compositi naturalis.

Lege litteram: magis autem proprie differre alterum ab altero dicitur quando specifica differentia differt, quemadmodum homo ab equo specifica differentia differt rationali qualitate.

§4

Universaliter ergo... 8,17-9 . Ex praedictis Porphyrius correlative concludit convenientiam et disconvenientiam omnium istarum dif-

ferentiarum. Conveniunt enim universaliter omnes differentiae in hoc, quod quaelibet illarum cuicumque subiecto adveniat alteratum facit. Disconveniunt autem quia differentia proprie et communiter dicta solum alteratum facit, differentia vero magis proprie dicta facit aliud. Sicut enim quaelibet forma large loquendo dicitur qualitas, ut colligitur de mente Philosophi, V Metaphysicae,⁶ ita quaelibet transmutatio tam substantialis quam accidentalis vocatur alteratio, ut colligitur a Commentatore, I Physicorum.⁷ Propterea quaelibet istarum differentiarum facit alteratum, id est: diversificatum in qualitate. Sed non eodem modo, quia differentia proprie et communiter dicta facit alteratum solum, id est: diversificatum in qualitate accidentali; differentia vero magis proprie dicta facit aliud, id est: diversificatum in qualitate essentiali. Haec enim differentia facit diversitatem Substantialem, aliae vero differentiae faciunt diversitatem accidentalem. Album enim et nigrum sunt alterum et alterum per albedinem et nigredinem, sed non sunt aliud et aliud per illas qualitates, sed per substantiam albi et nigri. Similiter simum et aquilinum non sunt aliud et aliud per similitatem et aquilinitatem, sed per substantiam nasi simi et nasi aquilini. Homo autem et equus sunt aliud et aliud substantialiter per rationale, quod est differentia specifica in homine, et per irrationale, quod est differentia specifica in equo.

Lege litteram: universaliter ergo omnis differentia alteratum facit cuilibet adveniens, sed ea quae est communiter et proprie alteratum solum facit, illa autem quae est magis proprie dicta facit aliud.

§5

De divisione differentiae

Notandum quod ista divisio differentiae notificat tria praedicabilia quae praedicantur in quale: nam differentia communiter dicta est accidens, scilicet albedo et nigredo, currere et moveri; differentia

proprie dicta est proprium, cuiusmodi est simum et aquilinum, seu risibile et hinnibile; differentia vero magis proprie dicta est illud praedicabile quod vocatur differentia. Non ergo differentia quae hic dividitur est unum de quinque praedicabilibus, sed est quoddam commune ad tria praedicabilia, significans illa aequivoce et analogice. Aequivoce quidem quia diversis rationibus, analogice vero quia per prius et posterius. Ita quod differentia in sua maxima communitate sumpta significat primo differentiam magis proprie dictam; secundo significat differentiam proprie acceptam, quia magis appropinquat ad differentiam propriissime acceptam; tertio significat differentiam communiter sumptam, quia ab illa quae est propriissime ^{differentia} \wedge est magis remota. Tamen quod ad nos differentia communiter dicta praecedit differentiam proprie dictam, et differentia proprie dicta praecedit differentiam propriissime sumptam; quia prius cognoscimus accidentia communia, quae sunt sensibilia propria et communia, quam accidentia propria, ut colligitur a Philosopho, II De anima,⁸ et prius cognoscimus accidentia propria quam differentias essentielles, secundum illud Aristotelis in prologo De anima:⁹ "accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est" etc.

Ex his sequitur quod divisio differentiae hic assignata non est divisio vocis in significationes, eo modo quo dividitur canis in latrabilem, caelestem et marinum, nec est divisio generis in species, quia differentia ut est secunda intentio non est in aliquo praedicamento; sed est divisio totius in suas partes subiectivas. Sicut enim tam unum quam multum dicit unum conceptum, quia sunt differentiae divisivae entis, quod importat unum conceptum, ut superius probatum est, ita differentia, quae est pars subiectiva multitudinis, dicit unum conceptum, qui est quoddam totum ad istas tres differentias nominatas tamquam ad tres partes subiectivas. Et ideo differentia non est univocum purum, neque ^{purum} \wedge aequivocum, sed quoddam analogum medium inter illa.

§6

Utrum Sortes senex differat a se ipso puero

Dubitatur circa illam propositionem concessam 'Sortes senex differt a se ipso puero', quia omnis relatio requirit duo extrema in actu, ut colligitur a Philosopho, V Metaphysicae¹⁰; sed differentia est quaedam relatio, sicut identitas; igitur requirit duo extrema in actu. Constat autem quod Sortes puer et Sortes senex non sunt simul actu; immo ex quolibet illorum sequitur oppositum alterius; igitur illa propositio non est vera.

Item, si Sortes senex differt a se ipso puero, igitur Sortes senex non est idem sibi ipsi puero. Consequens est falsum, quia idem Sortes est primo puer deinde senex. Patet consequentia, quia idem et differens sunt opposita, per Aristotelem, V et X Metaphysicae¹¹; constat autem quod ex quolibet opposito sequitur contradictorium alterius; si enim aliquid est album, illud non est nigrum, et si aliquid est videns illud non est caecum.

Confirmatur: si Sortes senex differt a se ipso puero, ergo Sortes senex et Sortes puer sunt multa. Patet consequentia, quia differentia est pars subiectiva multitudinis, per Aristotelem, X Metaphysicae¹²; sed consequens est falsum, quia unum et idem est diversis temporibus puer et senex.

Ad primum dicitur quod differentia sumitur dupliciter, uno modo ut est relatio secundi modi, alio modo ut est pars subiectiva multitudinis dividētis ens. Primo modo requirit duo extrema in actu, et sic illa propositio est falsa 'Sortes senex differt a se ipso puero'; secundo modo non requirit duo extrema in actu, sicut nec prioritas et posterioritas, quae sunt relationes fundatae in ente.

Ad secundum conceditur quod Sortes senex non est idem sibi ipsi puero, sicut Sortes albus non est idem Sorti nigro, dato quod Sortes sit albus et prius fuerit niger. Et sicut non sequitur 'Sortes primo fuit

niger et idem numero; postea fuit albus; igitur Sortes albus est idem sibi ipsi nigro', ita non sequitur 'idem Sortes numero est primo puer, deinde senex; ergo Sortes senex est idem sibi ipsi puero'.

Et ad confirmationem conceditur quod Sortes senex et Sortes puer sunt aliquo modo multa, non quidem secundum subiectum, sed secundum rationem, quia alia est ratio Sortis ut puer et alia ut senex; sicut alia est ratio albi et alia musici, licet idem sit album et musicum.

§7

Differentiarum ergo... 8,19-9,2 . Secunda distinctio est ista: differentiarum quaedam faciunt aliud et quaedam alteratum solum.

Illae differentiae quae faciunt aliud specieficae vocantur; dicuntur autem specieficae quia constituunt speciem. Verbi gratia, animal dividitur per rationale et irrationale; facta divisione, rationale adveniens animali facit aliud, videlicet substantiam essentialiter differentem a quolibet accidente; facit etiam speciem animalis, quia constituit hominem, qui est species animalis.

Illae vero differentiae quae faciunt alteratum solum vocantur differentiae simpliciter, non quia constituent ens simpliciter, quod est substantia, sed quia sunt differentiae absque additamento. Sicut enim materia prima absolute considerata dicitur ens simpliciter, non quidem simplicitate perfectionis, sed simplicitate additionis, quia ei nihil additur eam contrahens ad determinatum gradum perfectionis, ita differentia communiter et proprie dicta dicuntur differentiae simpliciter, non quidem simplicitate perfectionis in ratione differentiae, sed simplicitate additionis, quia eis nihil additur unde debeant dici differentiae specieficae. Sed dicuntur absolute differentiae; non enim constituent speciem, sed solum alteratum faciunt, quia faciunt unam rem diversificari ab alia solum secundum qualitatem accidentalem.

Verbi gratia, differentia movendi, per quam illud quod movetur dif

fert ab alio eodem tempore quiescente aut a se ipso alio tempore non moto, non facit aliud, quia non constituit compositum substantiale quod essentialiter differt a quolibet alio, sed facit alteratum solum, videlicet compositum accidentale a quolibet alio solum accidentaliter differens. De tali differentia locutus est Apuleius,¹³ dicens quod Plato fuit latus facie et Socrates non. Et non exemplificat Porphyrius de differentia proprie dicta, sed solum de differentia communiter dicta quae est motus, quia idem est iudicium de utraque. Simitas enim et cicatrix, seu risibilitas et hinnibilitas non faciunt aliud, quia adveniunt substantiae constitutae, sed faciunt alteratum solum, quia faciunt sua subiecta, quibus adveniunt, solum accidentaliter differre. Potius tamen exemplificavit de differentia communiter dicta quam proprie sumpta, quia illa est nobis notior, ut in alia distinctione dictum est.

Lege litteram: differentiarum ergo aliae quidem alteratum faciunt, aliae vero aliud; illae quidem quae faciunt aliud specificae vocantur, illae vero quae alteratum faciunt dicuntur simpliciter differentiae. Animalis enim rationali differentia adveniens, aliud facit et speciem animalis facit; illa vero quae est differentia movendi alteratum solum a quiescente facit. Quare haec quidem aliud, illa vero alteratum solum facit.

§8

Secundum ergo aliud... 8,2-6 . Ex praedictis in hac secunda distinctione Porphyrius concludit effectus dictarum differentiarum, dicens quod secundum differentias facientes aliud fiunt divisiones et definitiones, secundum vero differentia facientes alteratum solum fiunt motus et mutationes. Dictum est enim in prologo quod notitia universalium utilis est ad divisiones et definitiones faciendas. Et illud iam declaratur, quoniam genus dividitur in species per differentias essentielles

facientes aliud. Iterum, definitiones fiunt ex generibus et talibus differentiis. Secundum vero differentias facientes alteratum solum fiunt motus et mutationes. Dicitur enim III Physicorum¹⁴ quod in quatuor praedicamentis est mutatio per se, videlicet in substantia, quantitate, qualitate et ubi; in aliis autem praedicamentis est mutatio per accidens, ut probatur V Physicorum.¹⁵ Omnis mutatio per se dicitur alteratio, large loquendo; omnis autem mutatio per accidens potest dici permutatio, in quantum est mutatio per aliud. Differentiae ergo facientes alteratum tantum sunt illae secundum quas fit alteratio aut permutatio secundum aliquem modum se habendi. Unde secundum differentiam communiter dictam fiunt alterationes per se, ex quo ad quantitatem, qualitatem et ubi est motus per se, ut probatur V Physicorum;¹⁶ secundum vero differentiam proprie dictam fiunt permutationes per accidens, quia ad similitudinem vel cicatricem non potest esse motus vel mutatio per se, sed solum per accidens. Probat enim Philosophus, VII Physicorum,¹⁷ quod in figuris non est per se motus.

Lege litteram: secundum ergo differentias aliud facientes divisiones fiunt a generibus in species, et definitiones assignantur quae sunt ex genere et huiusmodi differentiis. Secundum autem eas quae solum alteratum faciunt alteratio sola consistit et aliquo modo se habendi permutationes.

§9

De divisione differentiae facientis
aliud et facientis alteratum solum

Notandum quod differentia faciens aliud potest quadrupliciter considerari. Primo secundum se; et sic ^{est} quaedam substantia vel natura. Secundo per comparisonem ad subiectum, quod est genus; et sic est actus perficiens potentiam. Tertio potest considerari per comparisonem ad speciem quam constituit; et sic est forma denominans essentiam, quia

dat speciei constitutae per ipsam nomen et definitionem. Quarto potest considerari per comparisonem ad ea quae distinguuntur a specie; et sic est differentia specifica, quia facit tam speciem quam omnia contenta sub specie essentialiter specificiter differre a quolibet alio.

Consimilis distinctio fieri potest de differentia faciente alteratum solum, quod ipsa potest quadrupliciter considerari. Primo secundum se; et sic est accidens. Secundo per comparisonem ad subiectum suum; et sic est accidens proprium vel commune: si enim concernit determinatum subiectum, ipsum est proprium accidens, si autem non concernit determinatum subiectum, sic est accidens commune. Tertio potest considerari per comparisonem ad constitutum per ipsum; et sic est dispositio dans nomen et definitionem, non quidem simpliciter sed secundum quid, quia dat nomen accidentale et definitionem accidentalem. Quarto potest considerari per comparisonem ad ea quae a suo subiecto distinguuntur; et sic est differentia propria vel communis.

§10

Duo argumenta contra praedicta, cum suis responsionibus

Contra praedicta arguitur. Et primo quod differentia propriissime sumpta non facit aliud, quia talis differentia non est aliud a genere neque a specie; eo quod homo, animal et rationale sunt unum et idem.

Secundo arguitur quod talis differentia facit alteratum solum, quia sicut differentia proprie vel communiter dicta accidit suo subiecto, quod est ens in actu, ita differentia propriissime accepta accidit suo subiecto, quod est genus; sed differentia propria vel communis facit alteratum solum; igitur differentia propriissime accepta etiam facit alteratum solum.

Ad primum dicitur, secundum Avicennam in Metaphysica sua,¹¹⁸ quod licet differentia non sit aliud secundum rem a genere et a specie, tamen est aliud secundum rationem. Et licet homo, et animal et rationale non

sint tres res, tamen sunt tres conceptus, in quantum possunt terminare tres conceptiones intellectus, quarum una est conceptio speciei, alia est conceptio generis et alia est conceptio differentiae. Sicut etiam homo, animal et rationale sunt una res, et tamen sunt tria praedicabilia, in quantum animal praedicatur de homine in quid et homo de Sorte, rationale autem tam de Sorte quam de homine in quale.

Et si arguitur sic: 'materia, et forma et compositum realiter differunt; sed genus sumitur a materia, et differentia a forma, et species a composito; igitur genus, differentia et species realiter differunt', negatur consequentia. Dicitur enim genus sumi a materia, et differentia a forma et species a composito per quandam similitudinem. Quia sicut materia est in potentia ad omnes formas naturales, ita genus est in potentia ad omnes differentias specificas; et sicut quaelibet forma naturalis perficit materiam et ipsam trahit ad determinatum compositum, ita differentia specifica perficit genus et ipsum trahit ad determinatam speciem; et sicut compositum componitur ex materia et forma tanquam ex suis causis, ita species constituitur ex genere et differentia tanquam ex suis principiis.

Ad secundum respondetur negando consequentiam, quia differentia propria vel communis non facit subiectum sum esse partem alicuius compositi essentialis, sed tantum accidentalis; differentia autem specifica facit genus esse partem compositi essentialis quod est species. Dicimus enim quod homo est aliud ab equo per rationale; non autem dicimus quod album sit aliud a nigro per albedinem, sed quod est alteratum —est autem aliud per subiectum suum, quod est substantia. Unde album magis habet esse per subiectum quam per albedinem; sed species magis habet esse per differentiam quam per genus, quod est subiectum eius, sicut etiam compositum naturale magis habet esse per formam quam per materiam, ut probatur II Physicorum.¹⁹

Et notanter dicitur 'compositum naturale', quia etiam composita ar

tificialia, scilicet domus, statua et huiusmodi, magis habent esse per materiam suam quam per formam, quia materia artificialium est substantia, forma autem est accidens, ut declarat Commentator, II De anima.²⁰

Si autem quis dubitaret de differentiis accidentium, utrum faciant aliud vel alteratum solum, dicitur quod faciunt aliud sicut differentiae substantiarum. Albedo enim est aliud a nigredine non per subiectum suum, sed per differentiam specificam. Albedo enim in eo quod est accidens facit alteratum solum, sed in eo quod species praedicamenti qualitatis, sic componitur ex genere et differentia, et est aliud a nigredine per differentiam contrahentem colorem, qui est genus albedinis et nigredinis.

§11

A superioribus igitur... 9,7-10 . Tertia distinctio: differentiarum quaedam separabiles et quaedam inseparabiles.

Differentiae separabiles sunt illae quae per aliquam causam possunt relinquere subiectum suum, ut moveri et quiescere, sanum et aegrum, et quaecumque sunt proxima his secundum positionem aut per similitudinem. Per motum enim differt quod movetur ab eo quod quiescit, et per quietem differt quod quiescit ab eo quod movetur. Proxima his secundum positionem sunt augeri, diminui, calefieri, frigefieri, et quietes oppositae istis motibus. Proxima vero secundum similitudinem sunt legere, scribere, disputare, videre, audire et huiusmodi. Haec enim nullum ordinem habent ad moveri, sed tantum similitudinem, quoniam haec sicut illa sunt accidentia communia et separabilia. Forte et debile videntur esse proxima sano et aegro secundum positionem; album vero, nigrum, calidum, frigidum et huiusmodi sunt proxima secundum similitudinem.

Differentiae inseparabiles sunt illae quae per nullam causam possunt relinquere subiectum suum, ut simum et aquilinum, rationale et irrationale. Causa enim similitatis est curvitas inversa in naso, causa

aquilinitatis est curvitas eversa in naso; constat autem quod istae causae non possunt relinquere subiectum suum, sicut etiam anima intellectiva, quae est causa rationalis, et anima sensitiva, quae est causa irrationalis, non possunt relinquere subiectum suum.

Ista distinctio dependet a prima distinctione, quoniam omnes differentiae communiter dictae sunt differentiae separabiles; differentiae vero proprie et propriissime dictae sunt differentiae inseparabiles. Propterea dicit Poprhyrius quod incipiendo ab his quae dicta sunt in prima distinctione est consequenter dicendum quod differentiarum quaedam separabiles et quaedam inseparabiles sunt.

Lege litteram: a superioribus igitur quae dicta sunt in prima distinctione rursus inchoanti, id est: incipienti dicendum est differentiarum alias quidem separabiles, alias vero inseparabiles. Moveri enim et quiescere, et sanum esse vel aegrum, et quaecumque his proxima sunt, separabilia sunt. At vero aquilinum esse vel simum, vel rationale vel irrationale inseparabilia sunt.

§12

De reductione omnis divisionis ad bimbrem

Notandum, secundum Boethium,²¹ quod omnis divisio est bimbris aut reducibilis ad bimbrem. Quia ergo prima divisio differentiae fuit trimbris, ideo Poprhyrius²² in tertia distinctione reduxit ad bimbrem, dicens omnem differentiam esse separabilem aut inseparabilem. De separabili exemplificavit in moveri et quiescere, sano et aegro; quorum differentia est ista, quia moveri et quiescere sunt differentiae fluxibiles et cito separabiles, sanum autem et aegrum sunt differentiae permanentes et non cito separabiles. De inseparabili vero exemplificavit in simo et aquilino, rationali et irrationali; quorum differentia est ista, quia simum et aquilinum sunt differentiae proprie dictae, constitutae ab eo cuius dicuntur differentiae, sed ra

tionale et irrationale sunt differentiae propriissime acceptae, consti-
tuentes illud cuius sunt differentiae. Nasus enim constituit simum et
aquilinum, sed rationale et irrationale constituunt hominem et besti~~am~~am.

Ista distinctio differt a prima distinctione, quia prima distinctio
dividit differentiam absolute, ut est pars multitudinis transcendentis;
haec autem distinctio dividit differentiam respective, per comparatio-
nem ad subiectum.

§13

Utrum rationale et irrationale sint differentiae separabiles an non

Dubitatur, probando quod rationale et irrationale sunt differentiae
separabiles, ex eo quia possunt relinquere subiectum eius. Nam sicut
se habet forma ad materiam, ita differentia specifica ad genus, secun-
dum Avicennam;²³ sed forma potest relinquere materiam; igitur diffe-
rentia specifica potest relinquere genus; constat autem quod genus est
subiectum differentiae specificae.

Respondetur quod differentia specifica etsi potest relinquere subiec-
tum inhaesionis, non tamen potest relinquere subiectum denominationis,
quod quidem est ipsa species. Stat enim aliquid esse animal et non ra-
tionale, sed non stat aliquid esse hominem et non esse rationale. For-
ma enim potest relinquere materiam, sed non potest relinquere composi-
tum, quia tunc compositum posset esse sine forma. Motus enim et albe-
do possunt relinquere subiectum suum, quia potest esse illud subiectum
sine motu et albedine; illud autem quod est subiectum simitatis vel
aquilinitatis, rationalis aut irrationalis non potest esse sine tali
differentia.

§14

Inseparabilium autem... 9,10-14 . Quarta distinctio: differen-
 tiarum inseparabilium quaedam sunt per se et quaedam per accidens.
 Differentiae per se sunt illae quae per se competunt suo subiecto,
 differentiae per accidens sunt illae quae per accidens competunt suo
 subiecto. Verbi gratia, rationale, mortale, susceptibile disciplinae
 sunt differentiae per se, quia per se competunt homini; simum vero et
 aquilinum sunt differentiae per accidens, quia non per se, sed per ac-
 cidens competunt naso.

Omnes ergo istae differentiae conveniunt et disconveniunt. Conve-
 niunt quidem in hoc, quod omnes sunt inseparabiles. Propterea haec
 distinctio non dividit differentiam in communi, sicut fecerunt omnes
 distinctiones praecedentes, sed dividit tantum unum membrum tertiae
 distinctionis. Disconveniunt autem, quia earum quaedam sunt differen-
 tia per se, ut rationale, mortale et susceptibile disciplinae, et
 quaedam per accidens, ut simum, aquilinum et risibile.

Lege litteram: inseparabilium autem aliae quidem sunt per se, aliae
vero per accidens; nam et rationale per se inest homini, et mortale
et disciplinae esse perceptibile, at vero aquilinum esse vel simum
secundum accidens sunt, non per se.

§15

Illae enim quae ... 9,14-6 . Notandum, secundum Porphyrium, quod
 differentiae per se et differentiae per accidens tripliciter disconve-
 niunt. Primo quidem quia differentiae per se accipiuntur in definitio-
 ne substantiae et faciunt aliud, differentiae vero per accidens non
 accipiuntur in definitione substantiae neque faciunt aliud, sed al-
 teratum solum.

Verbi gratia, rationale et mortale ac etiam perceptibile discipli-
 nae accipiuntur in definitione hominis dicendo 'homo est animal ratio

nale mortale' aut 'homo est animal perceptibile disciplinae'; faciunt etiam aliud, quia homo est aliud ab equo per hoc, quod homo est ratio nalis et equus irrationalis, est etiam aliud a caelo per hoc quod homo est mortalis et caelum immortale. Iterum est aliud a Deo per hoc quod homo est perceptibilis disciplinae et non Deus. Haec omnia dicuntur supposita opinione Porphyrii quod animal rationale est genus subalter num competens diis et corporibus caelestibus.

Risibile autem non accipitur in definitione hominis, loquendo de definitione exprimente substantiam et quidditatem rei, neque facit aliud, quia homo non est aliud ab equo per hoc, quod homo est risibi lis et equus hinnibilis; sed est alter. Simitas etiam et aquilinitas non accipiuntur in definitione nasi ex quo non omnis nasus est simus neque omnis nasus est aquilinus. Quod autem non faciant aliud, sed al teratum solum, ostensum est in secunda distinctione.

Lege litteram: illae enim quae per se sunt in substantiae ratione [m], id est: definitione [m], accipiuntur et faciunt aliud, illae vero quae secundum accidens non in substantiae ratione [m] dicuntur nec faciunt aliud, sed alteratum.

§16

Et illae quidem... 9,16-20 . Secundo disconveniunt differentiae per se et differentiae per accidens quia differentiae per se non susci piunt magis et minus, differentiae vero per accidens, quantumcumque sint inseparabiles, suscipiunt intensionem et remissionem. Genus enim non praedicatur de suis speciebus secundum magis et minus, quia non dicimus quod homo sit magis animal quam equus, neque quod musca sit minus animal quam leo, quia genus secundum totam suam essentiam est in qualibet suarum specierum. Constat autem quod differentiae per se dividunt genus, trahentes totam essentiam generis in species; igitur etiam ipsae differentiae secundum totam suam essentiam sunt ⁱⁿ speciebus et in individuis. Sicut enim unus homo non est magis nec minus homo

quam alius, neque est intensior vel remissior homo uno tempore quam alio, ita nullus homo est alio magis aut minus rationalis, neque in diversis temporibus est idem homo intensius aut remissius rationalis. Simum autem et aquilinum suscipiunt magis et minus, quia unus nasus est alio magis vel minus simus aut aquilinus; simitas enim et aquilinitas dicuntur intendi et remitti in naso secundum quod est maior aut minor curvitas inversa aut eversa in superficie nasi. Risibile etiam suscipit magis et minus, quia unus homo est altero risibilior vel minus risibilis, in quantum est magis vel minus habilis ad admirandum, ut dicit Albertus.²⁴

Lege litteram: et illae quidem quae per se sunt non suscipiunt magis et minus, illae vero quae per accidens sunt, etsi inseparabiles sunt, intensionem recipiunt et remissionem. Nam neque genus magis et minus praedicatur de eo cuius est genus, neque generis differentiae secundum quas dividitur.

§17

Ipsae vero quae... 9,20-23 . Tertio disconveniunt huiusmodi differentiae quia differentiae per se uniuscuiusque complent definitionem et dant unicuique unum et idem esse, differentiae vero per accidens non complent definitionem rei neque dant unicuique cuius sunt differentiae unum et idem esse.

Verbi gratia, rationale complet definitionem hominis, quia eo remoto tolleretur definitio hominis et quia tota essentia hominis integrata et completa per rationale est in quolibet homine. Propterea ipsum rationale cuilibet homini dat unum et idem esse; ita quod eadem humanitas quae est in uno homine est in quolibet alio, et non magis in uno quam in alio. Propterea sicut rationale non suscipit magis et minus, ita istud esse quod dat cuilibet homini non suscipit intensionem et remissionem. Simum autem et aquilinum non complent definitio-

nem nasi, quia quolibet eorum remoto non propter hoc tollitur definitio nasi. Non etiam dant cuilibet naso unum et idem esse, ex quo suscipiunt magis et minus per intensionem et remissionem, sicut coloratum. Sic etiam est dicendum de risibili quod non complet definitionem hominis, quia eo remoto non minus definitur homo; neque dat cuilibet homini idem esse in ratione risibilitatis, ex quo ipsum risibile suscipit magis et minus, et ipsa risibilitas suscipit intensionem et remissionem.

Lege litteram: ipsae vero quae per se sunt uniuscuiusque rationem complent, esse autem unicuique unum et idem per illas invenitur, neque intensionem neque remissionem suscipiens est; aquilinum autem vel simum vel coloratum aliquo modo intenditur et remittitur.

§18

Quattuor argumenta contra litteram, cum suis responsionibus

Contra praedicta arguitur. Et primo quod simum et aquilinum sunt differentiae per se, quia, I Posteriorum,²⁵ dicit Philosophus quod illa propositio est in secundo modo dicendi per se quando subiectum ponitur in definitione praedicati; constat autem quod istarum propositionum 'nasus est simus', 'nasus est aquilinus' subiectum ponitur in definitione praedicati, ut habet videri VII Metaphysicae.²⁶ Simus enim est nasus cavus et simitas est nasi cavitas, aquilinus est nasus curvus eversus, aquilinitas est curvitas nasi eversa.

Secundo arguitur quod differentiae per se suscipiunt magis et minus, quia unus homo est altero rationalior, in quantum magis utitur ratione. Nam, X Ethicorum,²⁷ Philosophus vocat aliquos homines bestiales quia multum remoti sunt a ratione, et Auctor Sex principiorum²⁸ dicit quod brutum est animantius planta. Deinde, albedo et nigredo et aliae qualitates tam primae quam secundae ad quas est per se motus, suscipiunt magis et minus; igitur etiam differentiae specificae talium qualitatum

suscipiunt magis et minus.

Tertio arguitur quod risibilitas et inimibilitas et aliae differentiae convertibiles cum suis subiectis non suscipiunt magis et minus, quia tales differentiae fluunt a principiis speciei et recipiuntur subiective in speciebus; sed principia speciei, quae sunt genus et differentia, ac etiam ipsa species, non suscipiunt magis et minus, secundum Porphyrium;²⁹ igitur etiam tales differentiae non suscipiunt magis et minus.

Item, sicut unus homo est magis habilis ad ridendum quam alius, ita est magis habilis percipere disciplinam; sed perceptibile disciplinae non suscipit magis et minus, ex quo est differentia per se, secundum Porphyrium;³⁰ igitur nec risibile suscipit magis et minus.

Quarto arguitur quod simum et aquilinum non suscipiunt intensionem et remissionem, quia intensio fit per additionem qualitatis ad qualitatem eiusdem speciei in eodem subiecto primo, ut patet de albedine, et nigredine et aliis quae intenduntur et remittuntur; constat autem quod simitas vel aquilinitas non maioratur per additionem qualitatis ad qualitatem, sed per solam maiorationem curvitatatis nasi -sicut una linea potest fieri magis et magis curva non per additionem qualitatis ad lineam, sed per maiorem incurvationem partium lineae.

Item, intensio et remissio fit per admixtionem contrariorum, secundum Philosophum, V Physicorum;³¹ constat autem quod simitas et aquilinitas non possunt invicem misceri, sicut nec rationale et irrationale.

Ad primum dicitur quod Porphyrius strictius loquitur hic de per se quam Philosophus I Posteriorum.³² Ibi enim Philosophus dividit per se in quattuor modos, hic autem accipit per se tantum uno modo, videlicet quando praedicatum est de essentia subiecti, quod quidem pertinet ad primum modum dicendi per se. Intendit ergo Porphyrius per differentias per se differentias essentielles; constat autem quod solum differentiae specificae sunt differentiae essentielles, quia illae tan

tum dividunt genus et constituunt speciem. Omnes autem aliae differentiae, sive sint communes sive proprie^a, sive se^aparabiles sive inseparabiles, sive convertantur sive non convertantur cum subiectis suis, dicuntur differentiae accidentales. Quo non obstante est concedendum quod quaelibet illarum propositionum est per se 'nasmus est simus', 'nasmus est aquilinus', ex quo subiectum accipitur in definitione praedicati. Non tamen propter hoc simum et aquilinum sunt differentiae per se; sed solum sequitur quod sunt propriae passionis nasi, et quod sunt passionis per se praedicabiles de naso, et quod per se competunt naso, non tamquam differentiae per se nasi, sed tamquam per se passionis illius.

Ad secundum respondet Avicenna,³³ dicens quod sicut forma substantialis non suscipit magis et minus per se, sed solum per accidens, ita differentia specifica quae sumitur a forma. Anima enim non suscipit magis et minus secundum quod est anima, neque secundum quod constituit corpus animatum, neque secundum quod distinguit ipsum a quolibet alio, neque secundum quod est principium operandi absolute sumptum, sed secundum quod operatur in subiecto, in quo inveniuntur promoventia aut impedientia ad agendum. Non ergo dicitur unus homo rationalior alio quia habeat magis de rationalitate, sed quia magis utitur ratione. Haec autem inaequalitas provenit ex parte subiecti, quoniam in uno inveniuntur promoventia ad ratiocinandum et in alio impedientia. Dicit enim Philosophus, II De anima,³⁴ quod actus activorum sunt in patiente disposito. Propterea dicuntur aliqui 'bestiales' non quia aliquid habeant de irrationalitate, sed quia modica ratione utuntur et multum appropinquant ad opera bestiarum. Sic etiam est intelligendum illud "brutum est animantius planta"; non quod animatum dividens corpus et constituens vivum sit magis in bruto quam in planta, sed quia operationes vitales melius fiunt in bruto quam in planta. Haec autem inaequalitas et dissimilitudo provenit ex parte subiecti, et non ex

parte formae neque differentiae specificae. Et ex hoc dicitur quod formae et differentiae specificae non per se, sed per accidens suscipiunt magis et minus.

De albedine autem et nigredine et huiusmodi dicit Burlaeus³⁵ quod Porphyrius non est universaliter locutus de omnibus differentiis constituentibus speciem, sed solum de differentiis praedicamenti substantiae, quia disgregativum visus, quod est differentia albedinis, suscipit magis et minus.

Sed istud non est credendum, quia Porphyrius locutus est de genere et specie universaliter secundum omnia praedicamenta, ita etiam universaliter loquitur de differentia, et non magis de differentia praedicamenti substantiae quam alterius praedicamenti.

Propterea est dicendum, cum Avicenna,³⁶ quod albedo potest dupliciter considerari: et in quantum est species praedicamenti qualitatis, et in quantum est differentia aut passio aut accidens alicuius subiecti. In quantum est species non suscipit magis et minus, sed in quantum est differentia aut passio vel accidens alicuius subiecti; et sic non per se, sed per accidens suscipit magis et minus. Disgregativum autem visus non est differentia per se albedinis, sed per accidens, cum sit propria passio eius, sicut risibile hominis.

Ad tertium respondetur negando consequentiam, quia risibilitas non est nisi aptitudo ad ridendum, quae quidem ortum habet a principiis speciei, et recipitur in specie mediante corpore; in eo autem corpore sunt dispositiones ad quas sequitur maior aptitudo ridendi in uno quam in alio. Consimiliter dicatur de disgregativo visus quod est quaedam passio albedinis, quae non est nisi aptitudo ad disgregandum visum. Haec autem aptitudo fit maior et minor, intensior vel remissior ex alia et alia dispositione perspicui in quo generatur albedo. Sic etiam simitas et aquilinitas generatur maior et minor in superficie nasi ex alia et alia dispositione nasi.

Cum autem arguitur de disciplinabili seu perceptibili disciplinae, respondetur quod disciplinabile dupliciter sumitur: uno modo ut est differentia sumpta ab intellectu humano, et sic est differentia per se hominis; alio modo ut est quaedam aptitudo ad disciplinam fluens a principiis speciei mediante corpore. Et quia in alio et in alio corpore est alia et alia dispositio a qua per se dependet talis aptitudo, ideo in aliquo invenitur maior et in aliquo minor, secundum meliorem et peiorem dispositionem subiecti. Et hoc intendit Philosophus, II De anima,³⁷ dicens "molles quidem carne, mente aptos esse dicimus". Disciplinabile ergo sic sumptum est propria passio hominis et differentia accidentalis. Primo autem modo est differentia essentialis. Neque talis distinctio potest fieri de risibili, quia homo est risibilis, non autem intellectus neque aliqua pars hominis. Intellectus autem humanus est disciplinabilis, et non tantum homo.

Ad quartum respondetur quod non quaelibet intensio fit per additionem qualitatis ad qualitatem, nec quaelibet remissio per subtractionem qualitatis a qualitate; quoniam scientia intenditur et remittitur non quidem per additionem vel subtractionem, sed propter maiorem vel minorem evidentiam principiorum. Sic etiam intenditur et remittitur similitas et aquilinitas: non per additionem qualitatis ad qualitatem neque per subtractionem, sed propter fortiorem et debiliorem dispositionem suarum causarum. Non etiam fit intensio et remissio propter maiorem vel minorem mixtionem contrariorum, quia lumen intenditur et remittitur in medio diaphano, ubi nullum miscetur contrarium. Motus etiam intenditur et remittitur absque mixtione contrarii; sed talis intensio vel remissio habet attendi penes maiorem et minorem dispositionem subiecti vel efficientis aut utriusque simul.

Ad Philosophum autem, V Physicorum,³⁸ dicentem quod illud est magis vel minus tale in quo est plus aut minus de suo contrario, dicitur quod illud est verum. Si enim .a. et .b. sunt duo alba et .a. plus

habet de nigredine quam .b., oportet quod .a. sit minus album. Ex quo tamen non sequitur quod omne intensum est intensum plus vel minus propter maiorem vel minorem mixtionem sui contrarii. Nam caliditas summa est magis intensa quam sua medietas, et unum lumen est altero lumine intensius, in quibus nulla est omnino mixtura contrarii.

§19

Cum igitur tres... 9,24-10,8 . Quinta distinctio: differentiarum per se quaedam sunt divisivae generis et quaedam sunt constitutivae specierum.

Ista distinctio sequitur ex praemissis. Cum enim tres sint species differentiae, videlicet communis, propria et propriissima -per primam distinctionem-, quarum una facit aliud et aliae duae alteratum solum -per secundam distinctionem-, et earum una est separabilis et aliae duae inseparabiles -per tertiam distinctionem-, inseparabilium vero quaedam sunt per se et quaedam per accidens -per quartam distinctionem-, consequens est iterum facere aliam distinctionem, dicendo quod differentiarum per se quaedam sunt divisivae generum et quaedam constitutivae specierum. Et istae sunt illae de quibus logicus per se considerat, quia istae tantum pertinent ad unum de quinque praedicabilibus. Nam differentia communiter dicta pertinet ad praedicabile accidentis, differentia vero proprie dicta pertinet ad praedicabile proprii. Differentiae enim per se praedicamenti substantiae sunt istae: animatum et inanimatum, sensibile et insensibile, rationale et irrationale, mortale et immortale. Animatum et inanimatum dividunt corpus, sensibile et insensibile dividunt corpus animatum, rationale et irrationale dividunt animal, mortale et immortale dividunt animal rationale. Istarum differentiarum illae quae non sunt oppositae, sed habent ordinem invicem, constituunt essentiam animalis, quod quidem est species, videlicet subalterna. Est enim animal substantia animata sensibilis.

Aliae vero quae invicem opponuntur dividunt genus; sicut rationale et irrationale, mortale et immortale differentiae divisivae sunt animalis. Istae enim sunt differentiae per quae genera in species dividuntur.

Lege litteram: cum ergo tres species differentiae considerentur, et cum hae quidem sint separabiles, illae vera inseparabiles, et rursus inseparabilium cum hae quidem sint per se, aliae vero per accidens, rursus earum quae per se sunt differentiarum aliae quidem sunt secundum quas dividimus genera in species, aliae vero secundum quas ea quae divisa sunt specificantur, id est: fiunt species. Ut cum per se differentiae omnes huiusmodi sunt animati et inanimati, sensibilis et insensibilis, rationalis et irrationalis, mortalis et immortalis. Ea quidem quae est animati et sensibilis differentia, constitutiva est animalis substantiae, id est: essentiae animalis; est enim animal substantia animata sensibilis. Ea vero quae est mortalis et immortalis differentia, rationalis et irrationalis, divisivae sunt animalis differentiae; per eas enim genera in species dividimus.

§20

Sed hae quidem... 10,9-18 . Et si aliquis quaereret utrum eae dem aut diversae ^{sint} differentiae divisivae generum et constitutivae specierum, sicut aliae sunt differentiae separabiles, aliae per se et aliae per accidens, respondet Porphyrius dicens quod eadem sunt differentiae divisivae generum et constitutivae specierum.

Verbi gratia, animal dividitur primo per rationale et irrationale, ex consequenti vero dividitur per mortale et immortale; istae duae differentiae, rationale et mortale, coniunctae animali diviso per eas constituunt speciem hominis; istae vero, rationale et immortale, simul iunctae cum eodem genere constituunt speciem dei, quoniam sicut homo est animal rationale mortale, ita deus est animal rationale immortale.

Deus enim et intelligentiae, secundum Stoicos, animalia rationalia sunt; nam Socrates³⁹ definiens deos inquit: "Dii sunt vere optimi natura animales, mente rationales, tempore aeterni". Aliae vero differentiae, scilicet irrationale et mortale, coniunctae animali constituunt species brutorum, videlicet leonis, equi, bovis et huiusmodi.

Et licet in infimis generibus subalternis magis quam in supremis clareat quod eadem sunt differentiae divisivae generum et constitutivae specierum, hoc idem etiam in supremis potest ostendi. Nam substantia, quae est generalissimum, dividitur per animatum et inanimatum, consequenter dividitur per sensibile et insensibile, quia omnes differentiae generum inferiorum sunt differentiae generum superiorum. Iungatur ergo simul cum substantia animatum et sensibile, et habebitur species animalis, quoniam animal est substantia animata sensibilis. Si autem substantiae adveniat animatum et insensibile, constituetur species plantae, quoniam planta est substantia animata insensibilis. Si vero substantiae coniungatur inanimatum et insensibile, constituetur species corporis inanimati, scilicet lapidis, ferri, plumbi et huiusmodi; nam quodlibet istorum est substantia inanimata insensibilis.

Patet ergo quod eadem sunt differentiae divisivae generum et constitutivae specierum, accipiendo genera et species tamquam diversa, quia eadem differentiae dividunt animal et constituunt hominem, et eadem dividunt substantiam et constituunt animal.

Accipiendo autem genera et species sub eadem intentione, impossibile est quod eadem differentiae dividant genus et constituent speciem. Verbi gratia, animal est genus et species; quod eadem differentiae dividant animal tamquam genus et constituent ipsum tamquam speciem est impossibile.

De corporeo et incorporeo, quae sunt primae differentiae substantiae, non facit Porphyrius mentionem, quia corporeum videtur ad mathe

maticum pertinere. Non etiam manifestat exemplariter quomodo corpus animatum et animal rationale dividantur tanquam genera et constituantur tanquam species, quia de facto nullum illorum est genus vel species; sed propter penuriam vocabulorum ponuntur loco generum et specierum subalternarum.

Lege litteram: sed hae quidem quae divisivae sunt differentiae generum completivae sunt et constitutivae specierum; dividitur enim animal rationali et irrationali differentia, et rursus mortali et immortali differentia, sed ea quae est rationalis differentiae et mortalis constitutivae sunt hominis, rationalis vero et immortalis Dei, illae vero quae sunt irrationalis et mortalis irrationabilium animalium sunt constitutivae. Sic etiam supremae substantiae, quae est generalissimum, cum divisiva sint animati et inanimati differentia, sensibilis et insensibilis animata et sensibilis congregatae ad substantiam animal perfecierunt.

§21

Quoniam ergo eadem... 10,18-21 . Ex praedictis concludit Porphyrius quod licet differentiae eadem aliquo modo sint constitutivae specierum et aliquo modo sint divisivae generum, tamen non sunt dicendae differentiae genericae sed specificae, quoniam unumquodque potius denominandum est a fine quam a principio. In constitutione rei genus est principium tanquam materia, species est finis tanquam compositum; ideo tales differentiae vocantur specificae et non genericae. Constituant enim speciem et definitionem speciei, non autem constituent genus, sed dividunt; non quidem secundum essentiam, sed secundum potentiam, quia tota essentia generis manet cum quolibet dividendum. Potentia autem dividitur sic quod una pars manet cum uno dividendum et alia cum alio.

Notanter dicit Porphyrius quod eadem differentiae aliquo modo sunt

divisivae generum et aliquo modo sunt constitutivae specierum, quia sicut impossibile est quod respectu unius et eiusdem eadem differentiae sint divisivae et constitutivae, ex quo invicem opponuntur divisio et constitutio, ita impossibile est quod eadem differentiae eodem modo sint divisivae generum et constitutivae specierum. Prius enim et posterius dicunt diversos modos; constat autem quod differentiae, quaecumque sint illae, prius dividunt genus quam constituent speciem.

anti
codal

Istae sunt illae differentiae de quibus logicus considerat, quoniam, cum ipse doceat dividere et definire, maxime de his considerat quae dividunt genera et constituunt definitiones specierum; constat autem, per ea quae dicta sunt, quod his maxime opus est ad divisiones generum et ad definitiones specierum. Non autem opus est differentiis per accidens, sive sint separabiles sive inseparabiles. Et minus est opus his quae separabiles sunt quam his quae inseparabiles, quoniam nos non utimur differentiis separabilibus ad divisionem generum et constitutionem specierum, sed differentiis inseparabilibus per accidens aliquando utimur. Dicimus enim quod animalium aliud bipes, aliud quadrupes, et quod homo est animal risibile et equus est animal hinnibile; tales tamen divisiones et definitiones non sunt propriae, quia non dantur per differentias essentielles, sed accidentales.

Lege litteram: quoniam ergo eadem aliquo modo acceptae fiunt constitutivae, aliquo autem modo divisivae, omnes specificae vocantur, et his maxime opus est ad divisiones generum et definitiones, sed non his quae secundum accidens inseparabiles, nec magis his quae sunt separabiles.

De differentiis per accidens

Notandum quod si differentiae per accidens, sive sint separabiles sive inseparabiles, non proprie dividunt genera neque constituunt species, per Porphyrium,⁴⁰ a fortiori incorporeum, inanimatum, insensibile, cum sint differentiae privativae aut negativae, non possunt dividere genus neque constituere speciem; et consequenter non sunt differentiae pers se, sed per accidens. Propterea non dicit Porphyrius in littera quod istae differentiae, animatum et inanimatum, sensibile et insensibile, rationale et irrationale, mortale et immortale, sint differentiae per se, sed dicit quod differentiae animati et inanimati, sensibilis et insensibilis, rationalis et irrationalis, mortalis et immortalis sunt differentiae per se, ad denotandum quod, si istae non sunt differentiae per se, tamen illae differentiae quae importantur per istas et loco quarum istae differentiae ponuntur sunt differentiae per se. Non etiam dicit Porphyrius quod istae differentiae, rationale et mortale, dividunt animal et constituunt hominem, sed quod differentia rationalis et differentia mortalis dividunt animal et constituunt hominem, ad denotandum quod differentiae significatae per istas dividunt animal et constituunt hominem. Non etiam dicit Porphyrius quod istae differentiae, animatum et inanimatum, sensibile et insensibile, dividunt substantiam, quarum animatum et sensibile constituunt animal, sed dicit quod differentia animati et inanimati, sensibilis et insensibilis sunt divisivae substantiae, ad denotandum quod illae differentiae loco quarum istae ponuntur dividunt substantiam et constituunt animal.

Utrum mortalis sit differentia per se

Sed de mortali, utrum sit differentia per se, dubitat Avicenna.⁴¹
 Quoniam differentia per se sumitur a forma; mortale autem, cum dicat privationem, non sumitur a forma, sed a materia.

Propterea consequenter ad priora respondet quod mortale non est differentia per se et non dividit genus neque constituit speciem, sed gratia exempli ponitur loco differentiae per se dividens genus et constituentis speciem; et non est vis de nominibus dummodo per nomina res quomodocumque significantur.

Albertus⁴² autem dicit quod mortale potest dupliciter sumi. Uno modo ut dicit actum in materia, connotantem potentiam ad moriendum; et sic est differentia per se dividens genus et constituens speciem, quia sumitur a forma. Alio modo ut dicit privationem potentiae ad vitam perpetuam; et sic non est differentia per se, neque a forma sumitur, sed a materia.

Aristoteles vero, VI Topicorum,⁴³ vult quod mortale non est differentia sed passio, quia prius est homo quam ipse sit mortalis. Sicut enim risibile dicit aptitudinem ad ridendum, ita mortale dicit aptitudinem a moriendum; sicut ergo risibile est passio hominis et non differentia per se, ita mortale est passio animalis et non differentia per se alicuius. Corruptibile autem est passio compositi ex contrariis, ut colligitur a Philosopho, I Caeli.⁴⁴

Porphyrius autem, dicens mortale esse differentiam per se divisi-
 vam animalis et constitutivam hominis, locutus est secundum opinionem Stoicorum, quae tunc famosa erat propter vulgares credentes deos esse animalia, eo quod ad similitudinem animalium depinguntur. Contra quos ait hic Boethius in Comento:⁴⁵ "Quandocumque Deum supponimus animali secundum eam opinionem, quae solem, stellas et totum hunc mundum animatum esse confirmat, quos etiam 'deorum' nomine appellavit.

Verus autem Deus in nullo genere est, nec constituitur per aliquam differentiam, sed est supra omne genus et differentiam".

§24

Duo argumenta contra praedicta, cum suis responsionibus

Contra praedicta arguitur et primo quod substantia animata sensibili non est definitio animalis, quia planta est substantia animata sensibilis, ex quo potest sentiri, et tamen non est animal. Neque obstat si dicatur quod sensibile accipitur pro sensitivo, quia manus est substantia animata sensitiva, et tamen non est animal.

Secundo arguitur quod illae differentiae, animatum et inanimatum, sensibile et insensibile, et huiusmodi, non sunt differentiae divisi-
vae generum et constitutivae specierum, quia differentiae dividentes genus et constituentes speciem sunt invariabiles, sicut et ipsum genus vel species; constat autem quod omnes istae differentiae variantur, quia moventur et transmutantur, et consequenter suscipiunt magis et minus, seu intensionem et remissionem -contra Porphyrium hic.

Ad primum dicitur quod accipitur sensibile pro sensitivo. Et ad rationem respondetur quod sicut ens dupliciter sumitur, videlicet in actu et in potentia, ut habetur V et IX Metaphysicae,⁴⁶ ita animatum et sensitivum dupliciter sumitur, videlicet in actu et in potentia. Illud est animatum seu sensitivum in actu cuius anima omnes vitales operationes tribuit; illud vero est animatum seu sensitivum in potentia cuius anima non omnes vitales operationes tribuit. Constat autem quod anima manus non omnes vitales operationes tribuit. Non etiam animae partium animalium anulosorum, quae divide^a vivunt, secundum Philosophum, II De anima,⁴⁷ omnes vitales operationes influunt; immo cito deficiunt, propter defectum talium operationum. Non igitur manus neque aliqua pars animalis est animal, sive sit continua sive discontinua, quia nulla talis habet animam influentem omnes operationes vi

tales. Loquitur ergo Porphyrius de animato et sensitivo in actu, non autem de animato et sensitivo in potentia, cuiusmodi est pars animalis seu plantae. Animal igitur est substantia animata sensitiva, videlicet in actu.

Ad secundum respondetur quod differentiae nominatae, una cum generibus divisis et speciebus constitutis, possunt dupliciter considerari: aut secundum suam essentiam absolute aut secundum esse quod habent in materia. Primo modo nulla variationem recipiunt neque intensionem vel remissionem; nam omnis variatio et omnis intensio vel remissio praesupponit essentiam, constat autem quod essentia nihil praesupponit, alioquin procederetur in infinitum. Deinde, ubicumque est intensio et remissio, ibi sunt participans et participatum realiter differentia; constat autem quod genus, differentiae et species non realiter differunt, quia idem est homo, rationale et animal, et idem est equus, irrationale et animal; igitur talia secundum suam essentiam sunt omnino absoluta ab omni intensione et remissione, et ab omni motu et mutatione, et ab omni differentia tam loci quam temporis. Si autem considerantur secundum esse quod habent in materia, sic variantur per transmutationem et motum, et generantur ac corrumpuntur, non per se, sed per accidens, secundum Philosophum, VII Metaphysicae.⁴⁸ Et consequenter potest concedi quod intenduntur et remittuntur per accidens, ratione subiecti aut ratione differentiarum accidentalium ab illis provenientium aut a subiecto. Sed sive considerentur secundum se sive secundum esse quod habent in materia, essentia eorum nunquam dividitur, sed indivisibiliter manet in quolibet suo contento. Et hoc intendit Porphyrius⁴⁹ cum dicit quod esse istorum unicuique unum et idem est. Quare etc.